

XXXIX.
PROVIDENTIAE
DIVINAE
VERITATEM,

ex
INTERNO ANIMI TESTIMONIO

demonstrant,

ATQUE

DISSERTATIONE PNEVMATICA

representant publice;

PRÆSES

M. DANIEL KLESELIUS,

Fraustadiensis Polonus,

Et

RESPONDENS

MICHAEL MÜLLERUS,

Chemnitio-Misnicus,

Habeb. ad d. 12. Aprilis A. 1699. hor. matut.

in Auditorio minori.

VITENBERGÆ,
Typis FINGELIANIS.

74

a. LXXII. 56.

oll. diss. A
2, 56

V I R O

*Magnifico, Experientissimo, Excellentissimo,
Amplissimoque*

D O M I N O

PAULO *Gottfried Sperling/*

Medicinæ D. Anat. & Botan. Prof. Publ.

Per Orbem Celeberrimo,

Patrono, & Promotori suo

Uni omnium maxime Colendo

ἄσκημα hoc Academicum

in grati animi τεκμήριον

Offerre atq; inscribere

debit, voluitq;

Subjetissimus Client

MICHAEL MÜLLERUS.





Q. D. B. V,

PRÆFATIO.



Vam viam supremi Moderatoris nutu atque arbitrio sum ingressus, Providentiæ divinæ veritatem contemplando, eandem quæ in sistam non abs re fore existimo; quippe quod institutum & ad majoris animi tranquillitatem pulcherrimum, & ad temperandas actiones dubias mihi videtur necessarium. Cum verò primum totum in eo fui, ut breviter strictimque proponerem momenta, quæ huic sententiæ confirmandæ & illustrandæ accommodata videbantur, operæ pretium me facturum arbitrabar, si paulo curatius, quantum tamen in me est, ea singula pertractarem. Quare in præsentibus id ostensurus sum, quæ ratione Providentiæ divinæ Veritas ex interno cujuscunque animi sensu ac testimonio appareat, nec facile cæteris paribus supprimatur. Ante vero quam uterque nostrum pleno gradu hanc ipsam rem ingredimur, divinum imploramus Numen, nobis ut clementer adsistat, ne de veritatis via unquam decedamus, aut tota erremus, sed in ea immoti subsistamus!

§. I.

Ametſi cujuſlibet hominis corpus machinam artiſicioſiſſimam repræſentans, Opificem & Moderatorem ſapientiſſimum, optimum-
que oſtendere & teſtatum facere poteſt, longe tamen firmius, gra-
viusq; de hac veritate exhibet argumentum ipſe hominis animus, cujuſ
quiſque ſibi intra ſeipſum conſcius eſt optime. Huic enim tanquam cha-
racter, qui deleri vix ac ne vix poteſt, impreſſus eſt, veriſſimus ille ſenſus,
eſſe DEUM Condito-rem, eumque generis humani & totius Univerſitatis
Rectorem ſupremum & providentiſſimum. Quod ſingulare & eximium
mentis noſtræ teſtimonium ut rectius in præſenti perpendamus, removen-
da quædam eſſe prius, quæ remoram facere poſſent, nobis perſuademus.

§.II. Non intelligimus per internum teſtimonium illud, quo Spiritus
S. incorruptus atque integer teſtis ſacrarum literarum *ἁγιωγραφικῶν* atque au-
toritatem vi quædam intrinſeca perſuadendi demonſtrat, fidemque divi-
nam producit atque obſignat. Nam quamvis nos aperte & ingenuè con-
fiteamur, iſt hoc religioſo teſtimonio Providentiæ diviniæ veritatem omni-
um optime confirmari; tamen cum multi ſint eorum, qui ſemetipſos oc-
cæcantes hanc clariſſimam lucem non ſeqvuntur, allegandum eſt aliud
teſtimonium, ipſius videlicet naturæ ac mentis humanæ. Deinde & præ-
ſens inſtitutum nobis ante oculos obverſatur, reqvirens, ne in alienam
meſſem falcem immittamus, & fines noſtros in alienos excurrendo juſto
liberius prorogemus.

§.III. Neque facem hic nobis præferunt Enthuiſtaæ *internum aliquod &*
vanum lumen teſtimonii loco producentes. Fuerunt enim quondam & ad-
huc ſunt homines difficiles, lucifugi, qui verum lumen relinqvendo eti-
am quoad notitiã à natura inditam nimium quantum mentem noſtram
colluſtratam eſſe volunt, & quendam Enthuiſmum Philoſophicum in-
troducunt. Qua de cauſa miſſis cæteris *Helmontius Senior* lumen geni-
ale, ineffabile, *Junior* vero lumen innatum, in centro cordis poſitum,
quodque principium ſit omniſ ſcientiæ oſtendarunt; hinc poſterior *in Me-
ditat. de Homine. p. 66.* de ſenſu ſpiritali interno multum diſſeruit, & Pa-
trem imitatus ejuſmodi Enthuiſmum diſſeminavit. A quo non alienus
eſſe videtur *Petrus Poirettus* qui in ſuis *Cogitationibus rationalibus de DEO,
Anima & Malo, p. 39. n. 69.* in primis in *Diſcurſu præliminari de fide divina & ra-
tio-*

tione humana, nec non in libris de solida Eruditione ad veram Theologiam, & Philosophiam tantum testimonium internum sive intelligentiam lucidam, tranquillam, quæ intima, mystica & occulta dici possit, requirit, & extra quam Cognitionem falsam & inanem Matæologiam locum habere liberius atque audacius affirmat.

§. IV. Quin nec ipsam notitiam insitam in sua latitudine acceptam hic exprimimus, licet non prorsus eam removeamus, aut è finibus nostris exterminemus. Nam dum plura in se continet testimonia, quæ seorsim proferri possunt, uno erimus contenti, ex illa ipsa notitia producto, & ex quo hujus rei veritas facile conjici poterit.

§. V. Verum nomine *interni illius testimonii* intelligimus ipsum illum sensum internum, ac propriam advertentiam, quæ nobis est *insita propensio, quæ mens hominis ad veritatem propensam, & debito modo consideratam fortiter inclinatur, eamque in se esse experitur.* Nominamus autem propensionem non eo sensu, ac si nudam velimus esse potentiam aut etiam dispositionem, cum illa ipsa notitia insita haud commode ejusmodi conceptu describatur, sed pro habitu, licet intuitu imaginis divinæ imperfecto à plerisque rectius venditetur. Enimvero nos, cum ista propensione insuper ipsum actum conjungimus, hac ratione, ut ponamus & Φύσιν, naturam, facultatem intelligendi, judicandi de DEO, & internum Φωτισμὸν, qui animum ad veritatem inclinatur, ejusque assensum producit.

§. VI. Quibus prælibatis jam propius accedimus ad hujus testimonii & existentiam & vim aut efficaciam omni ferme exceptione majorem, Providentiamque divinam clare demonstrantem, atque eam sequenti includimus Syllogismo:

Quodcunque Uniuscujusque Animi Testimonio interno confirmatur, id verum esse oportet;

Atqui dari Providentiam divinam uniuscujusque animi Testimonio interno confirmatur E. id verum esse oportet.

Major in confesso esse videtur, & admittitur à quolibet, qui sanæ mentis est. Namque si ad primam hujus propensionis respicimus originem, illa ut est perfectio animæ naturalis descendit ab ipso Deo, qui omnis veritatis autor est & svasor, atque in errorem inducit neminem. Quam ob causam nullum est dubium, quin & ipse animi sensus, ad quem vis divina pervenit, oraculum

lum sit verax & sincerum, hominesque cœlestis illius veritatis auctoritate argumentisque certissimis convincat. *Deinde* derivatur illa inclinatio ex insita DEI notitia, & hoc modo simul est pars aliqua luminis naturæ, aut refert imaginis divinæ primis Parentibus concreatæ, per lapsum vero amissæ rudera & superstites reliquias. Qui radii luminis residui ut divinæ rectitudinis sanctitatem, & divinæ sanctitatis rectitudinem ex parte ostendunt; sic certiora sæpe in nobis relinquunt vestigia, quam quæ multo labore & studio acquiruntur. Nemo etenim nostrum facile affirmaverit, vel per naturæ lumen, vel per imaginem divinam, quæ tanquam hypothesis alibi probata assumitur, homines in errorem rapi aut fallaciam. Equidem iterum iterumque indolemus, quod per lapsum tristissimum nimium quantum de nitore & sinceritate sua decoxit veritas & sapientia. Enimvero animos fractos tamen erigit, confirmatque illud ipsum quod in nobis est reliquum, quodque secundum Theologorum sententiam est incentivum ad ulterius inquirendum de DEO ejusque Providentia. *Denique* testimonium illud quoque est καθολικόν universale, aut omnibus commune & impressum, atque hac ratione veritati maxime consentaneum. Nam quod communis rerum natura confitetur, illud omnino verum esse oportet, quippe quæ initium duxit ab ipso DEO, & à cœlesti potentia agitatur, ut mendacium neq; dicat, neq; pati possit. Quin imo menti hominis veritatis luce ex universa natura tanquam Sole orta, nihil est formosius, nihil dulcius, nihil amabilius. Qua de causa fere omnes, in primis qui e numero fuere Sapientum existimarunt, naturam uno consensu junctam esse verissimam, & ea duce ac magistra errari haud posse. Hinc disertissimus Romuli nepotum *Cicero in Officiis suis contra naturam universam nihil contendendum esse asseveravit*, & *Lib. 1. de Natura Deorum C. Vellejus Epicureus verissime sic concludit. De quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est.* Quo etiam collineat illud *Gvilielmi Parisiensis: Quod natura universaliter confitetur, necesse est verum esse. Naturam enim naturaliter & universaliter mentiri, impossibile est.* Qua de re eleganter quoque disserit *Dn. Job. Joach. Zentgrav. in Disquis. de J. N. orig. verit. & rectitud. art. 3. p. 26.* his verbis: *Ad quod objectum agnoscendum natura, naturalique judicio, ducuntur homines, illud sane non per errorem cognitum*

cognitum dici potest, nisi internas hominis facultates male conformatas asserere, totique speciei naturalem aliquem defectum circa ipsum Numinis sensum tribuere velis. Quamquam vero creaturis deum per errorem varie divinitatem, quam natura dicitur averat, adscripserint homines, exinde tamen ipsum divini Numinis sensum, & quod DEUS detur, (addimus nos, & quod omnia gubernet) delirantis Phantasia, vel male sanerationis, esse imaginem inepte dicitur. Non statim errat quoad rei ipsius veritatem, quando error committitur in applicatione. Quibus adjicimus & illud, quod nisi hæc universalis naturæ confessio admitteretur, unusquisque sumeret operam inanem inquirendi veritatem, & incerta omnia essent ac fallacia, nec minus ipsa prima principia in dubium vocanda, negandaque essent. Id quod nemo admissurus est, nisi qui mente capti sunt, aut qui penitus omnem scientiam ac veritatem de medio remove conantur, quales e veteribus fuere Pyrrhonii s. Sceptici aut Aporetici. Nam & peculiare olim, sed abortivum philosophorum genus extitit, qui id tantum agebant, ut nihil prorsus crederent, & ne id quidem verum videri, quod nihil verum videatur. V. Job. Meisner. Theol. nat. Disp. 1. th. 18. p. 17.

§. VII. Minor probatur tum Rationibus, tum ipsa Experientia, tum denique sapientum Virorum testimoniis. Munita equidem nobis tuta quædam via esset, qua in sacrarum literarum campum immittamus animum, atque in eo notemus, Apostolum Paulum in demonstratione divini Numinis, ac quorundam attributorum, pariter ad internum animi testimonium provocasse, nec ejusmodi argumenta, quibus hodieque atheos adversus utimur, esse vana aut irrita, sed certa explorataque. Quare observari & proponi possent ea, quæ Roman. c. 1. v. 18. & c. 2. v. 14. 15. reperiuntur, quæque omnino digna sunt longa meditataque commentatione. Enimvero dum memores & tenaces sumus nostri propositi locupletem ejusmodi expositionem aliis committimus.

§. VIII. Rationes, quæ hanc in rem afferri possunt, satis prægnantes esse nobis videntur, quarum hæc, quæ desumpta à notitia insita, primas tenere potest. Nemo enim qui sibi rectè conscius est, inficiabitur communes illas, quibus animus est informatus de DEO notiones, dum ad credendum vi quadam interna & naturali, nec non conscientia aliisque testimoniis

timoniis amplissimis impellitur atque ulterius urgetur. Cui posito
 fundamento satis solido firmis nexibus superstruitur & id, uniuscujusque
 animum inclinari ad asserendam Providentiæ divinæ veritatem. Nam
 si quis interno sensu impulsus affirmaverit, DEUM esse, affirmabit haud
 dubie, eum quoque esse providentem, quippe quod vix ac ne vix dari
 potest, esse Deum & non curari ab eo negotia humana. Unde *Nemesius*
de Homine c. 42. Esse providentiam, inquit, iisdem rationibus quis ostendat,
quibus Deum esse probat; Deum enim non negans confitetur & providum, ut
ait Tertullianus l. 2. contra Marcion. c. 24. V. Stephani Klotzii Theol. nat. p. 851.
seq. Quem validum nexum pariter gentiles saniores admiserunt, quod
inter hos attestatur Balbus Stoicus apud Tullium de Nat. Deorum Libr. 2.
cum Vellejo Epicureo & C. Cotta inter alia sequenti modo differens: Dico
Providentia Deorum mundum & omnes mundi partes & initio constitutas
esse & omnitempore administrari: eamque disputationem tres in partes no-
stri fere dividunt: quarum pars prima est, qua ducitur ab ea ratione, que
docet esse Deos: quo concesso confitendum est, eorum consilio mundum admi-
nistrari. Et post pauca: Etenim si concedimus intelligentes esse Deos, con-
cedimus etiam providentes, & rerum quidem maximarum. Itaq, & nos recte
argumentabimur: Datur DEI notitia, ergo & providentiæ, atque utrum-
que interno animi testimonio confirmatur, ut parum absit, quin homi-
nem se esse dememinerit, qui illud inficietur. Quid quod, si moralem
effectum respiciamus, perinde sit, utrum quis neget Deum existere, an ab
eodem humana curari. Conf. Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 46. & Puffen-
dorff. de Offic. Homin. & Civ. L. 1. c. 4. p. 52.

§. IX. Sed ne omnia ad primas illas notiones revocentur, mens seu
 ratio ipsa principium illud cogitans, hoc idem declarat, cujus veritatem
 etiam vix obstinatissimi Sceptici in dubium vocare possunt. Unusquis-
 que enim hominum certus est de sua mente, ejusque conditione & ope-
 rationibus admirandis. Neque non apertum est omnibus, eam ab alio
 esse, & conservari & dirigi, eumque fore Ens perfectissimum, ipsum su-
 premum Numen. Scilicet dum mentem nostram inspicimus (facimus au-
 tem id, quoties attendimus ad nostras cogitationes de Ente summe perfe-
 cto, ac de corpore, de triangulo, de mente & similibus. v. *Christoph. Wit-*
tich. Disputat. de Providentia DEI actuali n. 12. p. 16. Ad quæ omnino re-
 ferenda

ferenda illa demonstratio, quam *Clariff. Sturmius in Theosophia Specimine* quod Operi Physico est adjectum, c. 3. p. 911. sic per analysin instituit: *Cum mens hominis propria existentia ejusque continuata, certissime conscia sit, multasque & egregias cognoscat perfectiones, quas ipsa tamen non habet, non potest illa à seipsa esse, adeoque, nec seipsam conservare; (addimus gubernare) Ergo ab alia erit causa & conservabitur (gubernabitur) hoc ipso v. g. momento, quæ hoc eodem momento non opus habeat ab alia rursus conservari. (gubernari) Existit ergo talis causa mentem meam conservans (gubernans) quomodo enim conservaret, (gubernaret) si ipsa non existeret? quæ non opus habeat conservari (gubernari) ab alia h. e. quæ fit à seipsa. Unde verissime judicavit jam pridem *Philipp. Melancton in Loc. Theol. pag. 53.* Estque dignum consideratione, inquiens, quòd humana mens, & illa lux menti insita, præcipuum de DEO testimonium est in natura.*

§ X. Quibus rationibus & illa annumerari potest, quæ ex Conscientiæ genuino dictamine proficiscitur, illudque mentis testimonium admotis quibusdam stimulis producit, ut animus sibi vim faciat, nisi assentiatur. Quæ irritamenta imprimis in sceleratis deprehenduntur hominibus, utpote qui commisso flagitio intra mentem suam gravissimos terrores & cruciatus persentiscunt, atque facinorum memores vindicem ac ultorem metuunt, quin & Deum rerum humanarum omnium curam habentem anxie profitentur. Verum plura de hac ratione in præsentia non exponam, ex ipsius Conscientiæ testimonio Providentiam Dei sub hujus auspiciis in peculiari Dissertatione demonstraturus.

§. XI. Neque referendum eo dubitarim illum innatum impulsu, quo cuncti mortalium dicto naturæ audientes ad Dei cultum ejusque auxilium implorandum feruntur. Etenim dum ea, quæ de natura DEI, attributis & operibus cognita habet, secum volvit homo, & in semetipsum descendendo altius rimatur, in animo ejus partim reverentiam ac metum, partim amorem excitant, unde se exerit cultus Numinis, quo illud homines venerantur, timent, adorant, offensumque placare, ac sibi propitium reddere student, ut & avertat mala, & bona copiose largiatur; quemadmodum hæc accurate edisserit *Excellentissimus Dn. Christianus Röhren-*

B

see

see Patronus ac Praceptor noster omni honoris & observantia cultu atatem de-
venerandus in sua Prudentia Morali Part. IV. Class. 1. de officio & virtute mo-
rali c. 5. p. 461. seq. ubi pariter ostendit, hunc cultum in se spectatum apud
omnes populos natura notum esse. Equidem usu venit saepe, ut homo in
utraq; fortuna constitutus suas primum periclitetur vires, utrum eandem
æquo animo ferre queat, necne? Enimvero mox apparet exinde, proprium
laborem, studium & curam haud multum valere, sed ut plurimum eva-
nescere. Quare omnino in tanta rerum vicissitudine, præcipue vero re-
bus in arduis, & repentinis atque inopinatis perturbationibus aliud adju-
mentum imploratur, summi videlicet gubernatoris, cujus in manu fer-
re & conservare salutem. Neque tantum manus supplices ad DEUM
tenduntur, verum & spes fiduciaque in eo consistit, internoque a-
nimi testimonio asseritur, habere supremum illud Numen absolutum im-
perium ac dominium, & omnium in primis generis humani gerere cu-
ram.

§. XII. Imo eadem injusta, quæ sæpius occurrit, hujus veritatis retar-
datio reddere potest aliquod testimonium. Solet equidem confieri,
ut illa ipsa inclinatio a cursu suo optime instituto revocetur, ne in amplio-
rem gradum promoveri queat, nedum confici; quid quod contra omne
jus fasq; illa innocentissima veritas sæpe quasi constricta teneatur, ne e-
rumpere possit, non secus ac si tyranni quempiam in fontem & exitum
quærentem gravissime premunt, & carceri inclusum miseris modis col-
ligari permittunt, ne e custodia elabatur. Ast sane per hanc ipsam iniqui-
tatem homines illi perditæ se gerentes produnt satis, adfuisse, aut adhuc
adesse in iis, internum illum animi sensum. Cujus enim stimulos ipsi
præsenferunt quidem, sed adversus eos callum induerunt, illud eos
latere non potest, sed in ipsis deprehenditur, atque emergere conatur.
Habent itaque omnino illam veritatem, habent inviti, habent nolentes,
dum scientes volentesque nonnunquam repugnant, sed ad frugem bo-
nam regressi levitatis, amentia, inhumanitatisque convincuntur. Ele-
ganter admodum hanc veritatem in animo provenientem, præpeditam
tamen aut retardatam proponit Stephan. Klotzius in Præfat. Theolog.
natural. Quare facere non possumus, quin nonnulla huc transferamus:

Dei.

Detinent, inquit, illam, ergo habent. Detinent verò dum non obtemperant, sed intus luctantem, & foras erumpere volentem violenter constringunt, opprimunt & captivant, ne foras prodire, & sese per actus honestati conformes exerere possit. Docet enim illa veritas homines quod DEUS sit, isque unus, omnipotens, æternus, colendus, scelerum vindex &c. quod nemo sit lædendus, suum cuiq; tribuendum &c. idq; intus in corde iis dictitat, & præscribit, conaturque actu prorumpere, & quod docet re ipsa ostendere: Verum licet agnoscant hanc veritatem homines, idque non tam ratiocinatione, quam sæpe similiter captivant; quam natura dictitante, in carcere tamen iniquitatis, & pravorum affectuum repagulis detinent hanc veritatem, illique vim inferunt, neque huic legislatori & judici a DEO menti impresso dictaturam permittunt. Pluribus hanc rationem suo fundamento non destitutam nos exequi nolumus, dum alii amplio rem proferre possunt expositionem.

§. XIII. Tandem ipsa *Experientia* optima rerum magistra certissimum hujus sensus interni, ad Providentiam divinam inclinantis, perhibet testimonium. Ea nimirum est vis illius propensionis, ut unumquemque hominum de ista veritate rite cogitantem ad assensum additis nonnunquam minis impellat, urgeat, convincat. Sæpius equidem nonnulli malunt ac omni expetunt voto, non dari DEUM ac Providentiam omnia moderantem, quo eo liberius vivere possent; At enim vero vel invitis etiam ac reluctantibus obrepit ille sensus, & omnibus contendit viribus, ut obductas tenebras aut eclipses feliciter superet atque eluctetur. Nam quemadmodum Flamma non facile intermoritur, sed convalescit, & circa id diffugit, quo urgetur, magnumque sæpe excitat incendium, pari ratione tenuissimus ille sensus per ipsa quibus premitur, erumpere conatur, seseque diffundit latius, & ut liquidior lux aperit suum iniquum adversarium. Si igitur quispiam facturus est periculum, has animi scintillas sufflaminandi aut extinguendi, irritus ut plurimum erit ille conatus, aut si quis effectus subsequatur, tantum aberit, ut firmus sit & constans, ut maxime sub formidine oppositi plane cesset, & animus superato paroxy-

smo acquiescat in DEI, ejusque Providentiæ Veritate. Unde fieri haud aliter potest, quin unusquisque, ubi intra se abit, experiatur in seipso sensum, internum, quo rapitur quasi ac urgetur fortiter ad eam veritatem amplectendam. Et quamvis rationes non semper satis sint cognitæ aut perspectæ, quibus veritas ista alioqui possit persuaderi, vel etiam occurrentibus non attendatur, accidit tamen sæpius, ut quisque sibi conscius sentiat illam veritatis vim sponte sua naturali, atque assensum constantem subinde largiatur. Sed quid multis? Vos ipsi, qui mentis estis compotes, confitemini, certo constare vobis, quomodo animus plus simplici vice dixerit & adhuc dicat, firmum & grave de Providentia divina testimonium.

§.XIV. Attestantur hanc naturalem inclinationem aut sensum Viri sapientissimi, & inter gentiles Cicero, cujus *de Natura Deor. Libri*, lectu & notatu dignas de hac re continent sententias. Dixere nimirum veteres, edocti experientia, & sensu intimo Divinitatis: ante omnem rationis usum, inesse naturaliter insitam Deorum notionem, imo Divinitatis quendam tactum. Sic *Jamb. de Myst. Ægypt. c. 1. V. Melch. Leydeck. Veritat. Evang. triumph. Lib. 2. cap. 1. p. 162.* ubi & Patrum testimonia adducit, in primis *Tertulliani Apol. p. 844.* ad dicta gentium exclamantis: *O testimonium anime naturaliter Christiane!* Idem *cap. 17. Apol.* nova quadam argumentatione sic quoque disserit: *Vultis ex anime ipsius testimonio comprobemus? Quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus & concupiscentiis evigorata, licet falsis Diis ex ancillata, cum tamen resipiscit ut ex crapula, ut ex somno, sive ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam petit, & Deum nominat solum, qui proprie hic verus unus Deus, bonus & magnus, & quod Deus dederit omnium vox est. Quo apprime tacit judicium Salviani libr. 1. de Dei gubernat. in quientis: Omnes etiam religionis expertes vi ipsa & quadam necessitate compulsi, & sentiri omnia a Deo & moveri, & regi necesse habent confiteri. Quibus consentanea tradidit Arnobius libr. 1. p. 17. omnes allocutus: Quisquamne est hominum, qui non cum istius principii notione diem primæ nativitatis intraverit? cui non sit ingentum, non affixum, imo ipsis pene in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse Regem ac Dominum cunctorum quacunque sunt moderatorem. V. Wittich.*

Wittich. l. c. Neque inutilis est observatio Adriani Heerebordii, quam in suis Meletem. Philosoph. p. 26. hoc modo expressit: Hoc quidem recte judicantibus semper constat, insculptum esse mentibus humanis Divinitatis sensum, qui deleri nunquam potest: & naturaliter ingentem esse hanc persuasionem, esse aliquem Deum, & penitus infixam esse in ipsis medullis, ejus neminem oblivisci natura ipsa patitur. Hæc vero omnia distinctius expressiusque confirmat accuratissimus quondam in hac Academia Philosophus B. Donati in Institut. Pneumat. c. 21. §. 10. p. 405. Providentiam divinam inter alia sic demonstrans: Primas in his tenet ipse sensus animi internus, quo unusquisque nostrum, cogitatione divinam Providentiam volvens inclinare suam mentem, ac ferri ultro, etiam nulla inducta ratione, ad istam asserendam credendamve experitur: idque tanta vi atque constantia, ut sic am inflectere in partem oppositam, persuasione undecumque arrepta, conetur, minime plenum ac interruptum impetrare ab ea possit assensum, quo minus renitatur subinde, atque repetat, quam prius arripuit sponte sua sententiam.

§. XV. Quibus sic stantibus nulli dubitamus, quin insuper profiteamur, internum illum animi sensum stante ordine divino, atque naturali & justa mentis humanæ conditione, & semper locum obtinuisse, & mansurum etiam esse in hominibus nullonon tempore, ad minimum quoad ipsum Habitum. Utrumque enim ex ipsa fluit notitia insita, quæ ex mente hominum non tollitur penitus aut extirpatur, sed suis defixa radicibus cum natura conjunctissima manet, ac nunquam fere suodimovetur loco. Quare admitti haud potest ejusmodi rerum humanarum status, qualem nonnulli exponunt, in quo Divinitatis ille sensus prorsus desierit, vel deletus fuerit. Non insurgimus in præsentem contra Tullii sententiam libr. 1. de invent. Rhet. statuentis, fuisse quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Namque ibidem Cicero respicere videtur ad sapientiam humanam, & culturam ingeniorum sine qua homines in gravissimam inscientiam prolabantur, atque communi sensu plane carere videntur. Neque hic indicatum volumus illum naturalem hominum sta-

tum, quem posuit *illustris* quondam *Puffendorffius*, quemque citra ullam curam, operamve longe miserrimum esse pronuntiavit, cum passim mentem suam explicuerit ipse, de quo loquatur statu, & quem velit intellectum. *Conf. ejus Specimen Controversiarum circa Jus naturale ipsi morarump. 36. seqq.* Verum haud potest illa ferri conditio, quam *Petrus Poirettus* in *Discursu praliminari Cogitation. ration. p. 51. sq.* omnibus mortalibus attribuit, affirmans, *primam Atheismi classem constituere omnes homines, quatenus nativa contagione inquinati in lucem eduntur, unde & per aliquot annos, mali hujus causa, brutorum instar sine ullo DEI sensu, ullaque ejus cogitatione & notitia vidunt, haud secus ac ignavum pecus divinae conscientiae omnimode tunc expertes. &c.* Etsi enim certum omnino sit, per ingenitam pravitatem divini Numinis notitiam esse valde debilitatam; etsi etiam omnis Cognitio multis obstructa est difficultatibus, & magna in judiciis nostris infirmitas, quin & summa opinionum diversitas, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur; non omnis tamen divinitatis sensus & cognitionis actus est deletus, eamque ob causam purus putus Atheismus introductus, sed manserunt in animis nostris communes DEI notiones, ejusque Providentiæ, quæ omnibus innatæ, & quasi insculptæ sunt, ut ob pravam naturæ dispositionem ordinarie in omnibus haud supprimi aut exuri potuerint. Nam ea quæ naturaliter homini insunt, semper inesse præsumuntur. Imo altioribus firmioribusque nitebatur radicibus ipsa imago DEI, quam ut omnes fibræ in omnium hominum animis per lapsum tristissimum evulsæ fuerint, aut adhuc evellantur. Inde porro notandum, nullam barbariem potuisse excutere communem i.e. naturalem divinitatis sensum, ac abolere consensum, id quod observarunt Cicero, Seneca, aliique. *V. Leydecker. l. c. p. 172.* Negari equidem non potest, quin eo impietatis & dementiæ devenierint multi, ut professi fuerint, se nullam Divinitatis aut Providentiæ habere notitiam; quin & homines pientissimos dubitationibus atque tentationibus gravissimis sic commoveri posse, ut distinctum ejusmodi sensum vix ac ne vix experiantur. Quid quod nonnulli arbitrantur, non absolute repugnare, si statuatur, ad tempus justo DEI judicio
natu.

naturalem illum sensum posse supprimi, ne erumpat in actum. *V. Hülsemann, Breviar. extens. c. 2. p. 87. & Joh. Meisner, Theol. natural. Disp. 1. tb. 18.* Verum enim vero jam in antecessum monuimus ante, & adhuc monemus, nobis esse sermonem de justa & ordinaria mentis dispositione, et non aliquod testimonium externum, sed internum, firmiter impressum esse attendendum. Deinde malitia et improbitate cordis humani premitur quidem ingenerata illa notitia, sed non opprimitur penitus. Hinc illi terrores & furia conscientiarum etiam hominum flagitiosissimorum.

§. XVI. Iam animus erat, argumenta illorum, qui illud religiosum testimonium eunt impugnatum, aut elevare conantur, ad veritatis trutinam examinare ostendendo, quam parum in iis sit ponderis; at enim vero cum in assignato differendi spatio longius excurrere nequeamus, hic subsistemus, si ad ultimum unum alterumque adjecerimus, quod omnium primo stare poterat. Ex interno videlicet testimonio Providentiam divinam demonstraturi requirimus, ut quisque veritatem istam rite consideret, aestimet & ponderet. Nisi enim quis huic dictamini interno attendat, aut Providentiam divinam secum in pectore volvat, tum vix eidem assentietur cum ignoti & inconsiderati nulla aut obscura sit cupido. Deinde non obruendus est animus vanis dubitationibus, sed iis quam primum exonerandus, ut sibi recte constet. *Petrus Poirettus l. c. p. 54. sq.* duplicem constituit fluctuationem mentis, anxiam alteram, alteram affectatam, & utramque refert ad Atheismi species, sed cum discrimine. Sed quoquo modo sese illud habet, nos omnem dubitationem, quæ illam naturalem propensionem præpediat, tollendam esse svademus; Denique mens variis præjudiciis est denudanda, nec facile subjicienda prædominio affectuum, quibus homines sæpe in deteriora rapiuntur, servi affectuum inde nominati. Nam solet plerumque per errorem atque inscientiam cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus implantatis, & ad meliora natis abuti perniciosissimis satellitibus. Quo fit, ut homo stimulis animi ferocientis & lascivientis jam præoccupatus, defatigatus, distamen aliquod verum aut germanum vel plane non, vel ægre audiat, vel

au-

auditum contemnat, rejiciat, adeo, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatae natura ipsa cedere videatur. Enimvero principiis obstandum, & praëjudicatae, si quæ sese offerunt opiniones haud admittendæ & fovendæ sunt, sed negligendæ & exterminandæ; contra vero judicium rectum audiendum, atque adeo naturæ conformiter vivendum h. e. ut *Epicætetus* effert. 1. *Dissert.* 12. *citatus a laudato Dn. Röhrensee* l. c. p. 13. *Mens submittenda gubernanti omnia menti, sicut boni cives Legi civitatis.* Quæ veritatis via, ut ab omnibus recte teneatur ex animo precamur, & singulari cum adhortatione magni illius *Scaligeri Exerc.* 307. *f.* 1. concludimus: *Has animorum intemperies, cum solus DEUS Optimus Maximus ad sanitatem revocare possit: illi non solum hæc omnia uni emendanda relinquamus: sed etiam pro nobis horum deliramentorum affectus deprecemur: animosque dedamus nostros cælesti modestia temperatos.*

S. D. G.



Coll. diss. A. 62, Misc. 56